



~~G.H. 9.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-20.

SIGNAT. CLVCCCXIII.

20 J. davis.

einzelne verzeihelt  
23. IV. 1915.





In hoc Volumine continentur  
A Disputationes

~~De Penitentia~~

- 1., Oslandi. De poenitentia. Tubing. 1675.
- 2., Bechmanni. De reali pres. Corp. et Sang. Xpi. in sacra Coena. reformatis opposita. Jena. 1675.
- 3., Niemann. De verbis institutionis Coena dominice. Jena. 1669.
- 4., Bechman. Dissert. ad. 1. Joh. 1. v. 7. 1674.
- 5., Müller. De numo Confessionario. Bruck. 1675. Jena.
- 6., Frischmuth. De Messia Dei filio. in Ps. 2. v. 7. Jena 1676.
- 7., Eiusdem. De vili et abjecto 30. argenteor. pretio, quo a Judaeis Messias estimatus est. Zach. 12. v. 12. Jena 1672.
- 8., Eiusdem. De unica Messia pro reatu se tradentis hostia. ibid.
- 9., Eiusd. De manuum pedumq. Messia perforatione. Ps. 22. Jena 1663.
- 10., Eiusd. De Agno Dei. et Joh. 1. v. 29. Jena. 1674.
- 11., Eiusd. De Angelo Foederis. et Malach. III. Jena. 1660.
- 12., Eiusd. De propheta Mosi par. et Deut. 18. v. 19. Jena 1675.
- 13., Eiusd. De Pontificatu episcopis. Jena. 1673.
- 14., Eiusd. De Evangelio hunc egressuro. Es. 2. v. 1. J. 1669.
- 15., Eiusd. De Decimis. 1657.
- 16., Eiusd. De Arca Foederis. Jena. 1676.
- 17., Sebast. Schmidii Quasi Sacra, Quoniam Arca foederis pervenerit. Jena. 1676.
- 18., August. Pfeiferi. Exercitationes biblica. VII. 1670.
- 19., Eiusd. Teraphim, s. idolis Labani VIII. 1663.
- 20., Eiusd. De Schiloh. filio Jehudah, Gen. 49. v. 10. 1669.
- 21., An Sephta filiam imolaverit. Jud. XI.
- 22., Examen Abarbe nelis ad Obadiam. Pfeiferi. VII. 1666.
- 23., Pfeiferi seipsoyoyis facilis ad Doctrinam Arceum suum Ebraicor. VIII. 1666.
- 24., Eiusdem. An Sephta filiam imolaverit. VII. 1675.



25. Liebentanz de Terra Morijah. Gen. 22. Vitz. 1670.
26. August. Varemii, Cohumba Super Capite Christi  
in Jordane visa. Math. III. v. 16. 1671.
27. Tob. Vagneri, de Salutifero nomine Jesu. Tubing. 1674.
28. Hillingerii, de Descriptione Ipsi in terra. Joh. 8. Vitz. 1672.
29. Stolbergi, tria questionum ad Math. II. v. 4. Cap. XIII. v. 24.
30. Apocal. XIII. v. 8. Vitz. 1670.
30. Georg. Mulleri, Periphraseon ad illustranda loca non  
nulla N. T. Vitz. 1670.
31. Elias Geisler, De Symbolis. Lips. 1676.
32. Georg. Green, de Sybillis. Vitz. 1661. Vitz.
33. Seypelii Jo. Jac. De ritu flagellandi apud nos. Vitz. 1670.
34. Beckmann, De Scriptura Sacra Pontificis potissimum op.  
posita. Jenae. 1672.
35. Andr. Kunard, De mento J. C. Oeantropi. Vitz. 1652.
36. Passions Spiegel. oder: Drey Fundigten von der Aufzehrung  
Haael. Gen. 22. Vitz. 1675.
37. fuis Fundig: Ruffiger Wandel durch Fundig zum Gmlich  
Meydr. 1675.
38. Invitao Decani Philosoph. Facultatis Lips. ad colationem  
honoris Baccalaurei. 1676.
39. Fowago de Confectione f. scripty nuptiale, 1675.

Tantum!  
1782



56

3.

I. N. D.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

VERBIS INSTITUTIONIS COENÆ DOMINICÆ,

*in qua*

propria eorum significatio defenditur, & quæ pro Calvinianorum

sententia Edmundus Albertinus scripsit, examinantur,

PRÆSIDE  
DN.

SEBASTIANO NIEMANNO,

SS. THEOL. D, Prof. Publ. & Superintendente, Fautore & Collega suo omni honoris cultu prosequendo,

*pro LICENTIA*

Supremum in Theologia gradum consequendi

in Auditorio Theologorum,

*ad d. XVII. Septembr.*

*horis ante- & pomeridianis habenda*

à

FRIDEM. BECHMANNO, SS. Th. P. P.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS, An. M DC LXIX.

H







SERENISSIMO CELSISSIMO QVE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

FRIDERICO,  
DUCI SAXONIÆ, JULIA-  
CI, CLIVIÆ AC MONTIUM,  
LANDGRAVIO THURINGIÆ, MAR-  
CHIONI MISNIÆ, PRINCIPALI DIGNI-  
TATE COMITI HENNEBERGICO, CO-  
MITI MARCÆ ET RAVENSPURGI,  
DYNASTÆ RAVENSTEINII,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Dissertationem hanc Inauguralem

humili mente

offert

FRIDEMANNUS BECHMANN.





## I. N. D.

I.



Icut inter plura eaque dulcissima nomina, quibus veneranda Antiquitas SS. Eucharistiam cohonestavit, facile primas fert, quod vocatur τροφή πνευματική, *alimonia spiritualis*, maximè, quod fidem, spirituales animæ vitam corroboraret atque conservet: ita dici non potest, quanto conatu truculentissimus generis humani hostis, Satanas diversis temporibus id unicè egerit, ut saluberrimum hoc animæ nutrimentum veneno suo corrumpere, tandemque penitus animæ subtraheret.

2. Si enim veterum perlustramus monumenta, deprehendimus, quod primo statim à nato Salvatore seculo ex Orco prodierit impurissima secta Gnosticorum, de quibus Epiphanius *heres. 26.* prolixè agit, & inter alia *Ipsam suam, inquit, synaxin ac communionem turpitudine multiplicis coitus polluunt, comedentes ac contingentes tum carnes humanas, tum immundicias, ut ne audeam quidem totum eloqui, nisi sanè cogerer propter excellentem animi dolorem, ab his, quæ vane ab ipsis fiunt, stupore percussus.* Et, quibusdam interjectis, ait, miseros istos (Gnosticos) post abominabilem permixtionem in celebratione cœnæ usos esse semine humano & sanguine menstruo, atque, quod horrendum, dulcissimi Salvatoris verbis turpiter abusos dixisse: *τὸ δὲ τὸ σῶμα τὸ ἁγίον, τὸ δὲ τὸ αἷμα τὸ ἁγίον.* Vid. de his plu-

A  
H

ra



ra qui vult, apud Epiphanium *d. l.* Hisce verò non conten-  
 tus Satanas seculo II. alio modo Sacrosanctum hoc epu-  
 lum corrumpere, atque ex eò vinum ab ipso Salvatore  
 institutum auferre conatus est per encratitas, hydropara-  
 rastatas vel aquarios, ut patet ex Epiph. *heres. 47.* &  
 Theodoret. *de heret. fab. l. 1.* ubi de Tatiano agens, *Hunc,*  
*inquit, Autorem habent illi, qui hydroparastata & encra-*  
*tiani dicuntur. Hydroparastata autem dicuntur, quia*  
*aquam pro vino offerunt, Encratita verò, quod neque vi-*  
*num bibant, neque animatis vescantur.* Similiter & E-  
 piph. *d. l.* *Utuntur & ipsi, inquit, mysteriis per aquam.*  
*Vino verò omninò non utuntur, diabolicum esse dicentes,*  
*& bibentes ac utentes iniquos esse peccatores.*

3. Eòdem à nato Salvatore seculò novo quo-  
 dam veneno sacram hanc cœnam corrumpit Satanas,  
 dum per Montanistas, qui & Cataphryges appellantur,  
 preciosissimum sanguinem Salvatoris ex eà abstulit.  
 Ita enim de illis scribit Augustinus *heres. 26.* quod eu-  
 charistiam suam confecerint de infantis anniculi san-  
 guine, quem de toto ejus corpore minutis punctio-  
 num vulneribus extorserunt, eumque miscuerint farinae &  
 panem inde fecerint. Conf. Epiph. *heres. 48.* Quid per  
 artotyritas eò ipso seculo præstiterit Satanas, ipsum no-  
 men videtur indicare, & testatur de illis Augustinus  
*heres. 28.* quod præter panem caseum quoque obtule-  
 rint, hâc addita ratione, quod à primis hominibus obla-  
 tiones de fructibus terræ & ovium fuerint celebratæ.  
 Vid. Epiph. *heres. 49.* Quibus etiam præstigiis eodem-  
 sec. in administratione cœnæ Dominicæ, maximè verò  
 calicis, usus fuerit Marcus, à quò Marcitæ vel Marcotii  
 dicti, legimus apud Irenæum *l. 1. c. 9.* & qui ex hoc de-  
 scripsit, Epiphanium *heres. 34.*

4. Ma-



4. Maximè etiam notabilis est circa hunc articulum error Transubstantiationis, qui octavo à nato Salvatore seculo occasione imaginum in Ecclesiam introductus fuit. Cum enim illi, qui imagines oppugnabant, inter alia etiam argumentum peterent ab eucharistiâ, & unam tantum Christi imaginem esse contenderent, panem scil. & vinum in eucharistiâ: alii pro imaginibus pugnantes negarunt panem & vinum in S. Eucharistiâ esse imaginem, figuram aut signum corporis & sanguinis Christi, contendentes panem & vinum esse ipsum corpus Domini deificatum, ipsumque ejus sanguinem, ceu videre est apud Damascenum *l. 4. de Orthod. fid. c. 14.*

5. Etli autem rectè scripsit *d. l.* Damascenus, panem & vinum esse ipsum corpus & sanguinem Christi, ita, ut de figmento Transubstantiationis nondum cogitaverit, postea tamen, cum hæc controversia ex Oriente manavit etiam in Occidentem, & ibi quoque quæri cæpit de pane & vinò, an sint nuda signa corporis & sanguinis, an verò ipsum corpus & sanguis Christi, & quidam sec. IX. priorem sententiam amplexi sunt, inter quos Johannes Erigena Scotus, (quem magni nominis virum vocat Baronius, *in annal. an. 883.*) & Bertramus tunc Presbyter Corbejensis; quidam verò adstipulati sunt sententiæ posteriori, inter quos Paschasius Ratbertus, Abbas Corbejensis, eò tandem res rediit, ut secul. X. Fulbertus Episcopus Carnotensis statueret, panem esse corpus & vinum sanguinem Christi, ita, ut panis mutetur in corpus; & vinum in sanguinis substantiam, cui sententiæ licet sec. XI. magno conatu se opponeret Berengarius, non solum tamen illam, quam tantopere impugnaverit, sententiam juramento confirmare coactus est

A 2  
H

à Gre-



61. à Gregorio VII. Pont. Rom. sed etiam multi fuerunt, qui ei sese opposuerunt, & panem ac vinum in substantiam corporis & sanguinis Christi converti, constanter asseruerunt, quamvis abstinuerint à voce Transsubstantiationis, donec sec. XIII. in Concil. Lateranensi hoc dogma de Transsubstantiatione confirmatum, vocabulum *Transsubstantiatio* adhibitum, & ut alii eodem uterentur, ansa data fuit. Atque hic error astutiâ Satanæ tam altas egit radices, ut etiamnum in Papatu magno cum applausu defendatur.

6. Cæterum sicut hic error fraude Satanæ longè lateque fuit dissemminatus: ita quoque satis fuit fœcundus, & non una ex eo nata est superstitio. Prodiit enim ex illo (α) adoratio eucharistiæ, de qua Algerus, *hac fide, inquit, ipsum Sacramentum quasi divinum quiddam adoramus, quasi vivum quid & rationale alloquimur & rogamus, Agnus DEI, qui tollit peccata mundi, miserere nobis: quia non quod videtur, sed quod vere est, Christum ibi esse credimus.* Peperit (β) idem Transsubstantiationis error etiam sacrilegam cœnæ Dominicæ truncationem, qua poculum Laicis in papatu denegatur: cum enim invaluisset Transsubstantiatio, & sub alterutrâ specie totus Christus contineri & exhiberi crederetur, præterea etiam Clerici ad majorem eminentiam præ cæteris adspirarent, de Calice Laicis subtrahendo, ne ulla sanguinem Christi prophanandi superesset occasio, consilia facta sunt. (γ) Idem quoque error valdè corroboravit opinionem de sacrificio missæ: cum enim deficiente paulatim devotione populi, nulli amplius essent communicantes, ipsi Sacerdotes soli benedictum panem & calicem sumere cæperunt, persuasum sibi habentes, eucharistiam non tantum ut Sacramentum posse  
pro-



prodesse, sed etiam ut sacrificium, atque hanc opinionem in multis Transubstantiatio valdè confirmavit, quod in eâ destructionem ad sacrificium requisitam se invenisse existimarent.

7. Quàm astutè etiam Satanas in Ecclesiam introduxerit errorem de missis solitariis, de repositione panis consecrati, de Sacramenti circumgestatione &c. passim testantur Scripta Theologorum. Vid. B. Gerh. *Loc. de Cœn.*

8. Si verò unquam sacrosanctum hoc epulum veneno suo corrumpere sategit Satanas, profectò hoc tum fecisse videtur, quando ipsam medullam, ipsum nucleum, sanctissimum scil. Christi corpus, pretiosissimumque ejus sanguinem ex eò abstulit, & perniciosissimum errorem in Ecclesiam invexit, quod in S. Cœnâ nil nisi panis & vinum detur, corpus autem Salvatoris ejusque sanguis tam procul absit, quam cœlum abest à terrâ. Videtur autem hæc ipsa sententia cœpisse circa sec. VIII. ubi quidam à priscâ simplicitate in certamine de imaginibus abiisse videntur, dum, ut supra dictum, ad oppugnandas imagines argumentum etiam desumerunt ab eucharistia, contendentes unam tantum esse imaginem CHRISTI, panem scil. & vinum in eucharistia, qui error successu temporis magis magisque invaluit, ita, ut sec. IX. Johannes Erigena Scotus de nudis signis & figuris peculiarem composuerit librum, qui tamen hodiè non extat. Et cum Carolus Calvus Bertramo Presbytero Corbejensi hanc rem explicandam tradidisset, ipse quoque Bertramus in Scoti sententiam abiit, quæ licet impugnata fuerit à Paschasio Ratberto, Fulberto & aliis, Berengarius tamen sec. XI. secutus Scoti supra allegati sententiam, etiam defendit, panem scil. & vinum tantum signa esse



corporis & sanguinis Christi, quæ sententia diu in Ecclesia duravit. Superiori autem seculo eam ex orco revocavit Carolstadius, quem secuti sunt Zwinglius, Oecolampadius, Calvinus, Bucerus, alii. Atque hanc sententiam etiamnum Reformati amplectuntur, & pro eâ varia conquirunt argumenta, adeò, ut etiam verba Salvatoris, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, pro eâ pugnare existiment, dum per pronomen *Hoc* intelligunt nudum panem, aut vinum, verbum *EST* autem explicant per *significat*, vel corpus Christi per signum corporis. Non autem soli Calviniani hanc de absentia corporis & sanguinis Christi opinionem hodiè foveant, sed & Photiniani eidem subscribunt, ut videre licet apud Smalcium contra B. Franz. p. 332. seq. ubi sententiam nostram de verâ, reali & substantiali corporis Christi in cœnâ præsentia vocat blasphemam & idololatricam.

9. Nobis hæc vice animus est primò eâ, quâ fieri potest, brevitate ipsa verba Institutionis perpendere, atque ex iis veram & realem corporis & sanguinis Christi præsentiam probare: deinde verò examinare ea, quibus orthodoxorum sententiam impugnat, Reformatorum verò confirmare conatur Edmundus Albertinus *lib. 1. de eucharistia Sacramento cap. IX. & seqq.*

10. Salvator igitur cum morti jam esset proximus, accepisse dicitur panem, & gratiis actis, fregisse, discipulis dedisse atque dixisse: Accipite comedite, τῆτό ἐστὶ τὸ σῶμα μου, *hoc est corpus meum*: similiter & poculo accepto, actis gratiis, dedisse dicitur discipulis & dixisse: Bibite ex hoc omnes, τῆτό ἐστὶ τὸ αἷμα μου τὸ τῆς καινῆς Διαθήκης &c. *Hoc est sanguis meus N. Testamenti* &c. ut describit Matthæus *cap. 26. v. 26. 27. 28.* Eadem habentur etiam apud Marcum *cap. 14. v. 22. 23. 24.* Apud

Lu-



67  
Lucam c. 22. verba, quæ de corpore Christi agunt, eodem, quo apud Matthæum & Marcum, modò se habent; quæ verò de sanguine Christi agunt, paulò aliter efferruntur, si tamen rem ipsam spectemus, idem sentit cum Matthæo & Marco. Hæc autem sunt verba Luca: τὸ ποτήριον ἢ καινὴ Διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου, hoc poculum novum Testamentum in meo sanguine. Paulus 1. Cor. 11. v. 23. 24. 25. ita scribit: *Accipit panem & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite, τὸ μου Ἰησοῦ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλάζον, hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur, & de sanguine his utitur verbis: τὸ ποτήριον ἢ καινὴ Διαθήκη Ἰησοῦ ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. Hoc poculum novum Testamentum est in meo sanguine.* Ubi Paulus etiam de sanguine verba faciens, paulò aliter loquitur, quam Matthæus & Marcus, re ipsa tamen à mente ipsorum non recedit, ut infra ostendetur.

II. Sicut autem hæc verba Salvatoris verissima esse nemo ambigit: ita quo sensu ea intelligi voluerit Salvator, discrepantes sunt sententiæ, dum alii, nempe Calviniani locutiones improprias à Christo adhibitas fuisse contendunt, alii verò propriæ verborum significationi insistent, quorum sententiam tanquam verissimam & nos amplectimur, & dicimus, verba Salvatoris *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, propriè esse accipienda, ita, ut pronomem *Hoc* habeat vim demonstrandi id quod præsens est, & idem sit ac *hæc res, hoc ens*; verbum *EST* significet identitatem inter prædicatum & subjectum; & *corpus meum*, quod est prædicatum, significet ipsum corpus Salvatoris naturale & substantiale, & *sanguis* significet ipsam sanguinis Christi substantiam, ut sensus propositionum à Salvatore adhibitarum sit: Hæres, (quam scil. cum pane vobis com-

eden-



65 edendam porrigo) est ipsum corpus meum naturale & substantiale, seu inter hoc, quod vobis cum pane comedendum porrigo, & inter corpus meum naturale & substantiale est identitas numerica. Hæc res, quam cum vino vobis bibendam porrigo est ipse sanguis meus, vel substantia sanguinis mei.

12. Hanc verò sententiam nostram probamus seqq. argumentis: 1. Ea non solum in Scriptura S. sed etiam in omnibus disciplinis legitima est interpretandi ratio, ut verba in propriò & nativò sensu accipiantur, nisi vel ex contextu vel aliunde satis constet, à verborum proprietate recedendum esse. Jam verò cur in adductis verbis Salvatoris, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, à nativâ & propriâ significatione sit recedendum, neque ex contextu, neque aliunde adduci potest ratio. E. à verborum proprietate hîc non esse recedendum, constanter asserimus. Et quidem, quod ex contextu nulla adduci possit ratio, quæ cogat nos, ut verborum proprietatem deseramus, facile potest ostendi. Aut enim desumenda erit ratio illa ex verbis consequentibus, aut ex antecedentibus. Ex consequentibus certum est eam desumi non posse. Nam quod attinet Matthæum & Marcum, illi nihil aliud referunt, quàm quod Salvator, cum protulisset verba, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, dixerit: *Non bibam posthac de isto fructu vitis, usque in diem illum, quum illum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ex quibus colligi quidem potest, Christum in celebratione S. cœnæ usum fuisse fructu vitis, h. e. vinò; quod autem solo vino usus fuerit, & quod in præcedentibus, quando dixit Salvator, *Bibite, hoc est sanguis meus*, hic sensus sit: *hoc vinum est sanguis meus, i. e. signum sanguinis mei, vel, signi-*



66 *gnificat sanguinem meum*, ex dictis verbis nullo modo elici potest: imò, quia Salvator præter fructum vitis, vel poculum seu vinum in poculo expressè etiam mentionem facit sanguinis, colligimus potius, ipsam quoque substantiam sanguinis Christi adfuisse. Neque etiam apud duos hosce Evangelistas, Matthæum & Marcum ex antecedentibus quicquam adduci potest, quod nos cogat, ut à verborum proprietate recedamus. Nam in præcedentibus, quæ quidem ad præsens spectant, dicitur quidem, Salvatorem accepisse panem, egisse gratias, fregisse atque dedisse discipulis, his verbis: *accipite, comedite &c.* Verùm quomodo adversarii ex his elicere velint, à proprietate verborum recedendum esse, non apparet: aut enim confugient ad verba illa: *accepit panem, egit gratias, fregit & dedit discipulis*; aut ad sequentia: *accipite, comedite, bibite.* Si prius, nihil in verbis illis præsidii invenient, cum verba illa: *accepit panem, egit gratias, fregit & dedit discipulis &c.* it. *accepit poculum, & gratis actis dedit illis &c.* tantum res illas significant, quas Christus, cum instituere vellet eucharistiæ Sacramentum, adhibuit, nempe panem, & vinum in poculo; it. quid circa illas res præstiterit, quod scilicet primò gratias super iis egerit, quod panem, ut commodius distribui posset, fregerit, eumque discipulis dederit. Quid verò postea in ipsâ Sacramenti dispensatione Salvator per pronomen *Hoc* in rectò significaverit, quando dixit: *edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus*, in dictis verbis non continetur, nec ex illis elici potest, id, quod edere & bibere iussit Salvator his verbis: *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, esse tantum panem & vinum, ita, ut sensus sit: *panis est corpus meum, i. e. signum corporis mei: vinum est sanguis meus, i. e.*

B  
J

signum



*signum sanguinis mei*, cum, ut dictum est, hæc verba, *accepit panem, poculum &c.* tantum spectent ad externa elementa, quæ postea demum Sacramentum facta sunt, postquam scilicet verbum Domini accessit. Unde dicendum potius, quod sicut verbis illis: *accepit panem, poculum seu vinum in poculo &c.* significata fuerunt elementa terrena, quæ Salvator Sacramentum instituturus adhibuit: ita præter hæc elementa, postquam verbum Salvatoris ad eadem accessit, accesserit etiam altera res, cœlestis scilicet corpus & sanguis Christi, ut quando Salvator dixit: *hoc est corpus meum*, non sit sensus, panem esse corporis sui signum, & ita impropria sit locutio Salvatoris, sed potius, quod hoc, quod cum pane comedendum porrigebat, sit ipsum naturale & substantiale suum corpus: & quod hoc, quod cum vino in poculo porrigebat bibendum, sit ipse sanguis seu substantia sanguinis sui.

13. Si verò confugiunt adversarii ad illa verba: *accipite, comedite, bibite &c.* ita, ut ex his evincere velint, Christum per verba illa, *accipite, edite*, jussisse discipulos edere solum panem, & per verbum illud, *bibite*, bibere jussisse solum vinum, iterum frustrati à spe sua dejiciuntur, cum verba illa, *edite, bibite*, plus non importent, quam actum comedendi & bibendi, non verò expriment objectum talis actus, an nempe sit solus panis & vinum, an verò etiam corpus & sanguis Christi, imò, cum tam panem & vinum, quam corpus & sanguinem suum Salvator edere & bibere jusserit, verba ista non magis ad panem & vinum, quam ad ipsum corpus & sanguinem referri poterunt, atque ita patet, ex his verbis elici non posse, quod sensus verborum Domini sit, panem esse corpus, i. e. signum corporis, vinum esse sanguinem, i. e. signum sanguinis, adeoque nullam ex illis

ra-



68 rationem desumi posse, cur à proprietate verborum Domini sit recedendum.

14. Simili modo etiam apud Lucam neque ex antecedentibus, neque ex consequentibus quicquam potest adduci, quod deserere cogat verborum proprietatem. De consequentibus res clara est. Quod verò antecedentia attinet, loquitur quidem in illis Salvator de fructu vitis s. vinò; quod autem in seqq. quando dixit Salvator, *hoc poculum novum Testamentum in sanguine meo*, tantum fructum vitis s. vinum bibendum exhibuerit, adversarii probare non possunt.

15. Quod denique Paulum attinet *1. Cor. 11. v. 23. seqq.* is quidem in antecedentibus mentionem facit Panis, dum dicit, Dominum accepisse panem, & gratias actis eundem fregisse &c. sed quod ex his non sequatur, proprietatem verborum Domini deserendam esse, in præced. ostensum est. In consequentibus verò, nempe *vers. 26.* Apostolus iterum mentionem facit *panis*, sed tantum abest, ut exinde concludi possit, quod per pronomen *Hoc* tantum & in recto significetur panis, & sensus verborum sit: *Panis est corpus meum*, i. e. *signum corporis mei*, ut potius oppositum ex *d. l.* deduci possit. Nam *vers. 27.* dicit Apostolus: Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ubi per particulam illativam respectus importatur ad præcedentia, in quibus de S. Cœnæ institutione actum fuit, & ratio concludendi significatur, ut sensus sit: Quamobrem qui edit hunc panem, de quo in præced. actum, & bibit de poculo Domini indignè, is sciat, se non nudum panem edisse indignè, aut de poculo indignè bibisse tantum vinum, sed cum pane ipsum corpus, & cum vino sanguinem Christi

B 2

in-

J



80  
7  
indignè accepisse, adeoque indignè edendo & bibendo reum factum esse ipsius corporis, quod indignè edit, & sanguinis Domini, quem indignè bibit. & v. 29. porrò dicit Apostolus, *qui edit & bibit indignè, iudicium vel damnationem sibi edit & bibit, non dydicans corpus Domini.* Quibus verbis duo significat Apostolus, (a) quod is, qui edit & bibit indignè, sibi ipsi iudicium seu condemnationem (Syrus reddit condemnationem animæ suæ) edat & bibat, h. e. ipse sibi damnationem accersat, seu damnationis reatum incurrat. (b) addit hujus rei causam, his verbis: *μη δυνεϊνον το σωμα κβε'ς, non dydicans corpus Domini,* quæ verba, ut benè Estius notat, causaliter accipienda sunt, ut sensus sit, quia non discernit corpus Domini, scil. ab aliis cibis, i. e. non æstimat præ aliis cibis, ut oportet, non attendit, quantæ sit dignitatis hoc quod accipit, sed accedit ad sumendum corpus Domini, perinde ut ad cibum promiscuum & profanum. Ex his satis clarum est, Apostolum minimè existimasse, quod in S. Eucharistiâ solus panis & solum vinum præsens sit, aut quod propositionum illarum, *Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus,* sensus sit: Hic panis est corpus meum, i. e. signum corporis mei. Hoc vinum est sanguis meus, i. e. signum sanguinis mei, aliàs enim ratio hæc ex v. 29. allata non haberet locum.

16. Ita igitur ostensum est, ex contextu tum trium Evangelistarum, tum etiam ipsius Pauli nihil posse ab adversariis adduci, quod evincat, à proprietate verborum Salvatoris recedendum esse. Sed nec aliunde adduci potest ratio, quæ cogat nos, ut à verborum proprietate abeamus. Quod enim dicunt adversarii, ex eò, si verba Salvatoris propriè accipiantur, & ipsum corpus Christi dicatur manducari, sequi, corpus Christi dentibus discer-



discerpi, in ventriculum demitti ibique more aliorum  
 ciborum concoqui, ad id resp. Neg. conseq. Nam quod  
 masticationem attinet, notum est, eam imprimis ordina-  
 ri ad concoctionem, & per eam alimentum comminui,  
 ut melius in ventriculo procedat concoctio & conse-  
 quenter ipsa corporis nutritio: at verò corpus Christi  
 non est cibus, qui ordinatur ad nutritionem corporis,  
 unde nec concoctione ejus opus est, nec masticatione,  
 nec sequitur, dentibus illud comminui aut discerpi. De-  
 inde universaliter verum non est, quod omne id, quod  
 manducatur, dentibus discerpendum sit, nisi dicere ve-  
 limus, infantes & edentulos nihil comedere. Quod por-  
 rò attinet concoctionem, neque illa sequitur ex eò, quod  
 manducari dicitur corpus Christi. Potest enim aliquid  
 comedi, ut non concoquatur, imò, cum imprimis illud  
 dicatur concoqui in ventriculo, quod ordinatur ad cor-  
 poris nutritionem, corpus Christi autem nutriendi cor-  
 poris causa non comedatur, facile patet, ex manduca-  
 tione corporis Christi non sequi ejusdem in ventricu-  
 lō concoctionem. Sed dicunt adversarii, quod repu-  
 gnet unum numero corpus simul in pluribus locis esse:  
 verum neque hæc ratio evincit, à verborum proprietate  
 hic recedendum esse. Licet enim unum numero cor-  
 pus naturaliter non nisi unum locum occupet, (quam-  
 vis neque hoc de omnibus corporibus intelligamus) ni-  
 hil tamen obstat, quò minus DEUS, si ipsi placuerit, u-  
 num numero corpus in pluribus locis præsens consti-  
 tuere possit, cum ultra omnia, quæ petimus aut cogita-  
 mus, cumulatè facere queat, *Eph. 3. v. 20.* Si excipere ve-  
 lint adversarii, rationi repugnare, idem numero corpus  
 simul in pluribus locis esse; dictum sibi putent, quod  
 scripsit Calvinus *l. 4. instit. c. 23. indignum est ad eam le-*



gem DEI opera redigere, ut simul ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus. Et Witak. *præfat. controu. de Script. Humanae rationes & testimonia, si quis eis nimium & præposterè utatur, instar sunt armorum Saulis, quæ Davidem non modo non adjuvant, sed ineptiorem etiam ad pugnandum reddunt.* Si quæ forte aliæ rationes hîc adducuntur ab adversariis, certi sumus, eas tanti momenti non esse, ut propter eas in propositionibus Salvatoris à verborum proprietate recedendum sit.

17. Ad hoc argumentum, etiam à B. Gerhardo *Loc. de cæn. §. 71.* adductum, quod nempe verborum proprietati inhærendum sit, quandiu aliud non suadet vel contextus vel ratio aliunde adducta, respondet Albertinus *l. 1. c. 14.* & dicit, antecedens, ipsius Gerhardi iudicio, non esse universaliter verum, cum B. Gerh. in seqq. dicat: *non negamus, quedam in præceptis, promissionibus & comminationibus divinis, uti & in fidei Christiana articulis figurato sermone constare.* Verum hæc verba nec B. Gerardo, nec nobis quicquam officiant. Neque enim sensus antecedentis est, quod semper verborum proprietati inhærendum sit, sed conceditur, quod, si sufficiens ratio jubeat, verborum proprietates desereri possit: Si verò talis ratio adduci nequeat, dicit B. Gerhard. & nos cum ipso, verborum proprietati insistendum esse. Sed excipit Albertinus, gravissimas hîc esse causas, cur à verborum proprietate sit discedendum, easque dicit adductas esse in præced. 13. cap. ubi ostendere voluit, hanc propositionem, *hoc est corpus meum,* esse tropicam. Verum quid roboris insit illis argumentis, quibus hoc probare conatus est Autor noster, infra ostendetur.

18. Præter communem verò, de quâ hætenus egimus, Scripturarum interpretandarum regulam, potest etiam



etiam pro nostra sententia adduci unanimis consensus trium Evangelistarum & Pauli. Hi sicut locis & temporibus disjuncti doctrinam & præcepta Magistri sui literis consignarunt: ita solemne ipsis fuit, ut, quod alius minus plenè & perspicuè tradidisset, alius absolverit, vel cum majori perspicuitate proposuerit. Unde si verba sua, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, Salvator improprie voluisset intellecta, & Matthæus, qui primus scripsisse creditur, silentio id præteriisset, procul dubio id monuisset aliquis ex reliquis duobus Evangelistis, vel, si illi quoque hoc non attigissent, Paulus tamen id monuisset, cum credibile nullo modo sit, Spiritum Sanctum, cujus ductu & instinctu sacri hi amanuenses scripserunt, Ecclesiam de re tanti momenti non satis certam reddere voluisse. vid. Plur. Rev. Dn. D. Mus. *dissert. de S. Cœn. contra Vorst. §. 6. seqq.*

19. Tertiò sententia nostra ex eò etiam confirmari solet, quod verba, quibus Salvator usus, sint verba Testamenti, quibus supremam suam voluntatem nobis notam facere, atque saluberrimum salutis medium, suum nempe corpus edendum, sanguinemque preciosissimum bibendum nobis legare voluerit. Si verò unquam, certè in Testamentis opus est verborum proprietate & perspicuitate, cum ex opposito, nempe verborum improprietate aut obscuritate facile nascantur lites, suprema voluntas Testatoris invertatur, & id, quod voluit, prorsus irritum reddatur. Quod autem verba, quæ adhibuit Salvator, sint verba Testamenti, id probari solet non solum ex *Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 23.* ubi ipse dicit: *Hic est sanguis novi Testamenti, qui pro multis effunditur: & 1. Cor. 11. vers. 25. hoc poculum novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro nobis effunditur;* sed etiam ex Epistola

stola



stola ad *Ebr. 9. v. 15.* ubi Autor Epistolæ Christum novi Testamenti mediatorem vel conciliatorem appellat, & ne quis vocem *Ἀγοθῆν* hic aliter, quàm pro Testamento accipiendam esse contendat, Autor Epistolæ eidem applicat ea, quæ aliàs ad Testamentum propriè dictum requiruntur, quando dicit *v. 16. ubi testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris, v. 17. nam testamentum in mortuis ratum est, quandoquidem nondum valet, cum vivit testator.*

20. Quartò ipsa indoles rei, quam Salvator hic tractavit, poscere videtur sermonem planum, simplicem & proprium. Est enim, quò de hic agimus, religionis Christianæ dogma maximè sublime, & præceptum de re nova & antea prorsus ignota, atque Ecclesiæ deinceps frequentanda, quod alibi nusquam propositum, inculcatum aut usurpatum fuerat. Jam verò hujusmodi dogma & præceptum planè novum & tam magni momenti Salvatorem verbis tantùm impropriis tradere völuisse, quis credat?

21. Stante igitur hóc, quod verba Institutionis propriè & sine tropo sint accipienda, nemo non videt, ipsam corporis & sanguinis Christi substantiam in S. Cœnâ revera adesse, ore excipi, comedi atque bibi, quod majoris perspicuitatis gratia probamus insuper hoc argumentò: *Quod Salvator noster in S. Cœnâ ore corporis jubet manducari & bibi, illud in S. Cœnâ realiter præsens est. Atqui corpus & sanguis Christi est id, quod Salvator noster in S. Cœnâ ore corporis jubet manducari & bibi. E. corpus & sanguis Christi in S. Cœnâ realiter præsens est. Major per se clara est: cum enim actus comedendi & bibendi requirat objectum quoad substantiam præsens, & absurdum sit aliquem jubere, ut quis edat vel bibat aliquid,*



quid, quod quoad substantiam non est præsens, ultrò sequitur, id, quod Salvator noster in S. Cœnâ jubet manducare & bibere, in S. Cœnâ quoque realiter & quoad substantiam præsens esse. Minor quoque clara est ex verbis institutionis. Cum enim Salvator dixisset, *accipite, comedite*, statim subjungit: *hoc est corpus meum*, non obscure significans, se cum pane benedicto porrigere etiam corpus suum, adeoque corpus suum esse id, quod jubeat in S. Cœnâ ore corporis manducari: Similiter, cum dixisset: *bibite ex hoc omnes*, iterum subjungit: *hoc est sanguis meus*, innuens, se cum vino benedicto porrigere etiam sanguinem suum, & ita sanguinem suum esse id, quod jubeat in S. Cœnâ ore corporis bibi.

22. Ordo nunc jubet, ut convertamus nos ad ea, quæ ab adversariis objiciuntur. Cum verò instituti ratio non permittat, ut omnia, quæ ab illis hic adduci solent, expendantur, considerabimus hac vice tantum illa, quæ contra manifestam veritatem in medium profert Edmundus Albertinus, apud Parisienses, qui Carentoni Synaxes suas habent, verbi DEI minister. Is igitur *lib. 1. de eucharistia Sacramento cap. IX. & seqq.* Primò seorsim agit de singulis vocabulis illius propositionis, quâ usus est Salvator in institutione S. Eucharistia, nempe *hoc est corpus meum*; Deinde *cap. XIII.* totam hanc propositionem: *hoc est corpus meum*, utrum propria sit, an impropria, considerat.

23. Quod igitur attinet primum vocabulum seu subjectum hujus propositionis, *hoc est corpus meum*, illud est pronomen *Hoc*, de quo *cap. IX.* Albertinus ita scribit: *Si in verbis, Hoc est corpus meum, pronomen demonstrativum nec sola panis accidentia, nec individuum vagum, substantiamve indeterminatam, nec corpus Christi, nec*

C  
R

pa-



panem & corpus Christi simul designat, superest, ut demon-  
 stret hoc sensibile, quod Dominus manu tenebat, panem vi-  
 delicet. Hanc sententiam, quod scilicet pronomen Hoc in  
 verbis Institutionis tantum panem denotet, probat mo-  
 dō dictus Autor tum ex ipsis Salvatoris verbis, tum ex  
 iis, quæ ea antecedunt. Dominus enim, inquit, secundum  
 Evangelistas accepit panem & gratis actis fregit & de-  
 dit discipulis & dixit, accipite, comedite, hoc est corpus  
 meum. Ubi series verborum Christi, pergit Autor, planè  
 indicat, demonstravisse ipsum id, quod acceperat, & gra-  
 tiis actis fregerat, & fractum visibiliter porrigebat disci-  
 pulis, ut ederent. At panis erat id, quod acceperat, & gra-  
 tiis actis fregerat, & fractum visibiliter porrigebat disci-  
 pulis, ut ederent. Panis ergo est id, quod demonstrabat.  
 Secundò, inquit Aut. N. id probatur ex Apostolo, qui aper-  
 tissimè pronomen Hoc interpretatur de pane. Ait enim,  
 panis, quem frangimus, nonne communio est corporis  
 Christi? Tertium ut & quartum argumentum solis Pon-  
 tificiis est oppositum, ideò hic prætermittitur. Quin-  
 tum desumit ab autoritate Patrum, quibus frequens est  
 panem vocare corpus Christi, aut pro hâc, hoc est corpus  
 meum, uti illa, panis est corpus Christi. Sextum iterum  
 Pontificiis est oppositum.

24. In cap. XI. Aut. N. agit de alterâ parte hujus  
 propositionis, hoc est corpus meum, nempe de copula EST  
 ejusq; significatione, de quâ varias opiniones ibidem  
 recenset, quas omnes adducere ratio instituti non per-  
 mittit. Suam verò suorumq; sententiam propositurus  
 ait: Quinta expositio Nostrorum est, dupliciterq; exponi  
 potest, semper tamen in eundem sensum. Primò ex hypo-  
 thesi nonnullorum ex adversariis, qui docent verbum il-  
 lud EST, quod est copula propositionum, esse transcenden-  
 tale



78 *tale & generalissimum, sicut & Ens, ideoq; quot sunt entis  
species, tot etiam esse essendi modos, & pro hac sententia  
allegat Jansonium in liturg. l. 4. c. 8. Ut autem digno-  
sci possit verus & genuinus sensus cujuslibet proposi-  
tionis, dicit Aut. N. porro, semper habendam esse ra-  
tionem subjecti & praedicti. Nam, inquit, si subjectum  
& praedictum substantialiter de se invicem dici queant,  
tunc EST designabit hoc esse illud substantialiter; sin au-  
tem non ita convenire possint, sed tantum analogicè aut  
significativè, tunc tantum designabit hoc illud esse analo-  
gicè aut significativè, absq; eò forte, quod necesse sit tropum  
illum in verbo EST constituere. Ex hisce duobus mo-  
dis, quos Aut. N. verbo EST competere existimat ( ut  
nempe interdum designet praedictum cum subjecto  
idem esse substantialiter, interdum verò analogicè sal-  
tim aut significativè) putat secundum huc spectare, ut  
sensus propositionis illius, hoc est corpus meum, sit hic:  
Panis est analogicè aut significativè corpus meum. Pro-  
bat A. N. hoc 1. quia pronomem Hoc designat hunc panem.  
At nec panis de corpore Christi, nec corpus Christi de pane  
substantialiter praedicari potest. 2. Quando sacramenta  
earum rerum, quarum sacramenta sunt, nominibus appel-  
lantur, id fit ratione similitudinis. At in hac proposi-  
tione: hoc est corpus meum, Sacramentum, quod manu te-  
nebat Dominus & offerebat discipulis, appellatur nomine  
rei, cuius Sacramentum est, i. e. nomine corporis. E. id fit  
ratione similitudinis, ac proinde EST ibi sumitur pro esse  
sacramentaliter & similitudinariè, non autem pro esse sub-  
stantialiter. Deniq; cum verbum EST ex hac hypothese sit  
loco generis respectu horum duorum essendi modorum, sub-  
stantialis & similitudinarii, ea profectò species eligenda  
est in verbis, hoc est corpus meum, quae non tantum ma-*

C 2

terie

K



77 *teria subjecta rectè conveniat, sed & qua aut in seqq. aut in antecedentibus aliquatenus indicetur, rejicienda verò illa, de qua ibi nulla prorsus mentio existit. At de esse substantialiter nihil prorsus exprimitur in tota institutionis Sacramentaria historia: contra esse significativè immediatè innuitur post verba, hoc est corpus meum, addente Domino, hoc facite in meam cõmmemorationem. E. esse significativè & commemorativè eligendum est in illis verbis, & rejiciendum alterum, videlicet substantiale.*

25. *Secundo, inquit porrò Aut. N. communiter à Nostris asseritur verbum EST hic tropicè poni pro SIGNIFICAT, ut in multis aliis locis. Quod autem EST frequentissimè ponatur pro significat, probat Aut. ex variis Scripturæ locis, e. g. quando dicitur Gen. 41. v. 26. Septem boves sunt septem anni, quando circumcisio dicitur fœdus, Gen. 17. v. 10. agnus pascha, Exod. 12. v. 11. Petra Christus, 1. Cor. 10. v. 4. baptismus lavacrũ regenerationis, Tit. 3. v. 5. & sepultura cum Christo. Rom. 6. v. 4. Col. 2. v. 12. & tandem calix Novum Testamentum, Luc. 22. v. 20. 1. Cor. 11. v. 26. In his omnibus, inquit Autor, EST sumitur pro significat propter habitudinem terminorum inter se. Quod autem verbum EST eodem modo accipiatur in verbis, hoc est corpus meum, probat Aut. ex eò, quod signatum utrobique de suo signo prædicetur, h. e. disparatum de disparato, quæ de se invicem essentialiter dici nequeunt.*

26. *Porrò Autor N. progreditur ad prædicatum hujus propositionis, hoc est corpus meum, & dicit per corpus intelligendum esse verum & naturale Domini corpus, quatenus pro nobis ad mortem datum. Nec aliud voluisse ait alios Reformatos, quando dixerunt, corpus hic*



hic sumi pro signō corporis per metonymiam subjecti pro adjuncto. Horum enim mentem non esse dicit, quasi corpus non sumatur pro verō & naturali Christi corpore, sed quod exprimat, corpus intelligi quā sub-  
jecto significatum & demonstratum.

27. Denique cap. 13. Aut. N. totam hanc propositionem, *hoc est corpus meum*, considerat, eamque improprietatem esse probat sequentibus argumentis; 1. *Ubi-  
cunque disparatum de disparato predicatur, ibi necessariō  
aut figurata est, aut falsa enunciatio.* At in hac propo-  
sitione, *hoc est corpus meum*, *disparatum de disparato  
predicatur. E. aut figurata est, aut falsa.* Non autem  
*est falsa. E. figurata.* 2. *Quando signum dicitur res si-  
gnata, aut res signata affirmatur de signo suo, enunciatio-  
nem illam non propriam, sed figuratam esse necesse est.* At  
*in verbis, hoc est corpus meum, signum dicitur esse res  
signata, aut res signata affirmatur de signo suo. E. 3. In  
exemplis rerum, quæ tota posita sunt in significatione, idem  
est addere verbum EST & SIGNIFICAT, cum de illis præ-  
dicamus significatum.* At eucharistia est in exemplis re-  
rum, quæ tota posita sunt in significatione. E. idem est illi  
addere verbum EST, aut SIGNIFICAT, cum de illa præ-  
dicatur significatum, sicut fit in his verbis: *hoc est cor-  
pus meum.* Hæc sunt, quæ Aut. N. pro sententiâ Calvi-  
nianorum adducit, de quibus quid sentiendum sit, nunc  
videndum est.

28. Quod igitur dicit Aut. N. cap. 9. *Si in verbis,  
hoc est corpus meum, pronomen demonstrativum nec  
sola panis accidentia, nec individuum vagum, nec corpus  
Christi, nec panem & corpus Christi simul designat, super-  
est, ut demonstret hoc sensibile, quod Dominus manu tene-  
bat, panem videlicet; si ponatur antecedens, h. m. At-*



qui in verbis, *hoc est corpus meum*, pronomen demonstrativum nec sola panis accidentia, nec individuum, vagum, nec corpus Christi, nec panem & corpus Christi simul designat. Resp. Neg. anteced. quoad illa verba, quod pronomen demonstrativum *Hoc* nec corpus Christi, nec panem & corpus CHRISTI simul designet.

29. Ut igitur ostendatur, in allata propositione, *hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc* designare corpus Domini, & certo modo etiam panem, adeoque corpus & panem simul, præmittendum est 1. hanc propositionem, *hoc est corpus meum*, esse exhibitivam, per hanc ipsam enim exhibuit Salvator id, quod à discipulis accipi & manducari voluit. 2. not. subjectum nempe pronomen *Hoc* dupliciter posse accipi, interdum enim tantum habet vim demonstrandi, quando scil. ipsi additum est aliquod substantivum, ut cum dico *hoc lignum*, *hoc vinum*; in his & similibus pronomen *Hoc* tantum vim habet demonstrandi illam rem, quæ significatur per additum substantivum: interdum verò præter hoc, quod vim demonstrandi habet, denotat etiam rem, quamvis tantum sub communi ratione rei vel entis, ut idem sit, ac *hæc res*, *hoc ens*, ut cum ostensò dolio dico: *hoc est vinum*: sensus enim est: hæc res (quæ est in dolio) est vinum. In allata propositione, *hoc est corpus meum*, facile patet, quod cum nullum nomen additum habeat pronomen *Hoc*, nō priori, sed posteriori modo illud sumatur, ut idem sit, ac *hæc res*, & ut Salvator, quando dixit, *accipite, comedite, hoc* &c. nihil aliud dicere voluerit, quàm, accipite, comedite hanc rem, quam comedendam vobis exhibeo. Cæterum, quænam distinctè sit res illa, per pronomen *Hoc* confusè significata, ex prædicato propositionis cognoscendum est, quippe quod distinctè exprimit

mit



mit id, quod confusè per pronomē *Hoc* significatum fuit, e. g. cum ostenso dolio dico: *hoc est dolium*, prædicatum, nempe dolium ostendit, quæ sit illa res, quæ per pronomē *Hoc* significatur & demonstratur, quod nempe dolium sit. Cum vero monstrato dolio, quod vino reple- rum est, dico: *hoc est vinum*: iterum ex prædicato in- telligitur, quænam sit illa res, quam significat & demon- strat pronomē *Hoc*, nempe quod non sit dolium, quod sub sensus cadit, sed vinum in dolio. Similiter cum porre- ctâ crumena dico: *hoc est aurum*, ex prædicato constat, quæ sit illa res, quam significat & demonstrat pronomen *Hoc*, quod nempe non sit crumena, quæ sub sensus cadit, sed aurum in crumena. Ita quoque cum Salvator ac- cepto & porrecto pane dixit: *hoc est corpus meum*, ex prædicato intelligitur, quid per pronomen *Hoc* confusè voluerit significare, & clarum est, ipsum cum pane, qui sub sensus cadebat, discipulis comedendum dedisse ali- quid, quod non æquè ac panis sensibus erat obvium, nempe *corpus suum*, verba subjecta enim *corpus meum*, ostendunt, quod quamvis solum panem Salvator sensi- bus discipulorum exhibuerit, non tamen solum panem comedi voluerit, sed aliud quidpiam in & cum pane, sa- crosanctum scil. corpus suum. Et sic consuetudo lo- quendi usu receptissima jubet, ut in propositione Salva- toris pronomen demonstrativum *Hoc* ita accipiamus, ut confusè denotet id, quod distinctè exprimitur per præ- dicatum: distinctè autem in prædicato exprimitur cor- pus Christi. E. pronomen *Hoc* confusè significat ipsum corpus Christi. Sed porrò hîc observandum est, quod, licet in propositionibus exhibitivis, ubi duo dantur conjuncta & unita, quorum alterum sub sensus cadit, al- terum verò sensibus non est obvium, pronomen *Hoc* si- gni-



gnificet id, quod sub sensus non cadit, & quod exprimitur in prædicatō, tamen alterum quoque quod sensibus percipitur, quodammodo designet, alio tamen modo, quàm quo prius illud designabat. Nam prius illud, quod prædicatum est, & sub sensus non cadit, significat in recto, alterum verò quod sensibus est obvium, significat in obliquò & quasi connotatum aliquod, id quod per exempla potest declarari: cum ostenso dolio dicitur, v. g. *hoc est vinum*, ipsa loquendi consuetudo ostendit, per pronomen *Hoc* demonstrari & significari in casu recto id, quod in prædicato continetur, nempe vinum: sed quia vinum hic spectatur prout in dolio est, per pronomen *Hoc* designatur ipsum quoque dolium, non in recto quidem, sed in obliquo & per modum connotati, sensus enim allatæ propositionis est, *hæc res, quæ est in dolio, est vinum*. Similiter cum ostenso sacco, dicitur, *hoc est triticum*, pronomen *Hoc* in recto denotat id, quod per prædicatum exprimitur, & quod sensibus non est obvium, nempe triticum, quia verò triticum non absolute & in se, sed cum cōnotato, & quatenus in sacco est, spectatur, & cum sacco etiam exhibetur, idè rectè dicitur, pronomen *Hoc* designare etiam saccum, sed tantum in obliquo, ut allatæ propositionis sensus sit hic: *Hoc, quod in sacco continetur, est triticum*. Hæc explicatio adeò clara est, ut adversarii eam rejicere non possint, nisi communem loquendi consuetudinem planè è medio tollere velint. Licet igitur Salvator hæc propositione: *hoc est corpus meum*, per pronomen *Hoc* designaverit corpus suum, scil. in recto, ut ex prædicato patet, hoc tamen non obstante, panem quoque, qui sub sensus discipulorum cadebat, per idem pronomen designavit, sed in obliquo tantum & per modum connotati, ut sensus sit;

sit;



lit: hoc (quod scil. cum pane benedicto vobis exhibeo & comedendum trado) est corpus meum. Ex quibus patet, falsum esse, quod dixit Albertinus, in verbis: *hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc* non denotare corpus Christi, nec panem & corpus Christi simul.

30. Sed videamus, quid in recessu habeant argumenta, quibus Albertino probare conatur, per pronomen *Hoc* nisi panem designari. Primò autem, ut supra dictum, hoc probari posse putat tum ex verbis Salvatoris, tum ex verbis antecedentibus, in quibus dicitur, Salvatorem accepisse panem, & gratis actis eum fregisse, dedisse discipulis, & dixisse, accipite, edite, *hoc est corpus meum*. Argumentum in formà erit tale: *Quod Christus accepit, & gratis actis fregit, deditq. discipulis, id per pronomen Hoc in verbis Christi significatur. Atqui panis est id, quod Christus accepit, & gratis actis fregit deditq. discipulis. E. Panis est id, quod per pronomen Hoc in verbis Christi significatur.* Verùm resp. majorem propositionem esse falsissimam, si scil. intelligatur de eò, quod in recto significatur. Neque enim, cum scire volumus, quid Salvator in recto per pronomen *Hoc* significare voluerit, recurrendum est ad antecedentia verba, in quibus narratur, quid acceperit Christus, quid gratis actis fregerit &c. cum in illis verbis tantum describatur res illa, quam Dominus ante consecrationem, cum vellet Eucharistiæ Sacramentum instituere, adhibuit, nempe panis, & quid circa illum Salvator egerit, innuatur, quod scil. panem illum in manus sumserit, gratias egerit, fregerit, & discipulis dederit. Quod autem accedente verbo Domini ad panem nihil aliud accesserit, quod in recto per pronomen *Hoc* à Salvatore in verbis istis: *Hoc est corpus meum*, designatum fuerit, id unde probabitur? itane inefficax fuit

D

ver-



verbum Domini & prorsus otiosum? sanè longè aliud evincunt verba Domini, *hoc est corpus meum*, quæ docent, per consecrationem ad panem accessisse corpus, & Dominum in adductis verbis per pronomen *Hoc* in re-ctò non significare voluisse panem, sed id, quod per consecrationem ad panem accessit, nempe ipsum corpus.

31. Nec est, quod quis dicat, nihil aliud præter panem præcessisse, ad quod pronomen *Hoc* possit referri, necessariò igitur referendum esse ad panem, quem Salvator accepit, fregit & discipulis dedit, adeoque majorem argumenti allati firmam esse. Nam Resp. Non necesse esse, ut pronomen *Hoc* referatur ad antecedens, cum non sit relativum, sed demonstrativum. Quid autem demonstrat, supra ostensum fuit. Ut res fiat clarior, rem illustrabimus simili. Jubeat medicus cibum peculiariter parari pro ægroto, præscribat modum, quo debeat confici, atque mensuram, exprimat aromata, quibus condiri debeat, eiq; ad ægrotum allato præsentissimum aliquod contra morbum remedium admisceat, & dicat ægroto: *Accipe, comede, hoc est præsentissimum contra morbum tuum remedium.* Hic in antecedentibus non nisi de cibo fuit sermo: sed anne dicet adversarius, pronomen *Hoc* referendum esse ad id, quod præcessit, nempe ad cibum, quem pro ægroto parari jussit medicus, ut sensus sit: *hic cibus, quem parari jussi, est præsentissimum contra morbum remedium?* sanè non puto aliquem ex adversariis tam absurdum fore, ut hoc asserere audeat, esset enim contra mentem Medici, qui per pronomen, *Hoc* non voluit cibum designare, sed, ut ex prædicato patet, medicamentum seu remedium contra morbum, idque cum vehiculo nempe cibo, quem parari jussit. Simili modò Christus primo quidem præparavit symbolum



87  
lum externum, nempe panem, quem gratiis actis fregit ac dedit discipulis, sed non sequitur, quod cum postea dixit, *hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc* necessariò referri debeat ad antecedens, nempe panem, ut sensus sit: *Panis est corpus meum*, cum prædicatum satis clarè ostendat, quid Salvator per pronomen *Hoc* designare voluerit, ut non opus sit recurrere ad antecedentia.

32. Sed pergit Autor noster, & ut probet, pronomen *Hoc* in verbis Salvatoris tantum panem significare, in subsidium vocat Paulum 1. Cor. 10. v. 16. ubi ita ait: *Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis CHRISTI?* quibus verbis, ait, apertissimè Apostolus pronomen *Hoc* interpretatur de pane. Verum resp. negando, quod subjectum in propositione Paulina exprimat id, quod significat pronomen *Hoc* in verbis Salvatoris nostri, aut quod propositiones istæ: *panis, quem frangimus, est communio corporis Christi, & hoc est corpus meum*, habeant eundem sensum, ut una alteram explicet. Quid enim tum in aliis exhibitivis tum in hac Salvatoris propositione pronomen *Hoc* designet, id, ut supra ostensum, ex prædicato cognoscendum est, quod quia h. l. est corpus Christi, satis clarum est, per pronomen *Hoc* in verbis Salvatoris in casu rectò significari tantum corpus Christi, non verò panem, quamvis hic per idem pronomen in obliquo connotetur, & consequenter falsum esse, Paulum in *cit. loc.* pronomen *Hoc* interpretari per panem. Deinde quod diversa sint hæ propositiones, *panis, quem frangimus, est communio corporis Christi, & hoc est corpus meum*, ex eò patet, quod habent diversissima subjecta, ut & diversissima prædicata. Nam prioris subjectum est vox *panis*, quæ distinctè significat id, quod constat ex farina & aqua inter se mixtis, ut crassiore humore per calorem

D 2

rem



85 rem externum absumto consistant, atque masticari & in corporis nutritionem cedere queant, ut docet Plin. l. 15. N. H. c. 15. At verò alterius, quâ usus est Salvator, subjectum est pronomen *Hoc*, quod idem est ac *hec res, hoc ens*, & in se spectatum distinctè nec panem nec aliud quid significat. Deinde etiam prædicata sunt diversissima: in priori, quæ est Pauli, prædicatum est *communio corporis CHRISTI*, i. e. id, cui corpus Christi sacramentaliter est unicum, & quo mediante corpus Christi communicatur & exhibetur: in posteriori autem prædicatum est ipsum *corpus Christi*. Unde licet illa propositio, quæ Pauli est, inferri possit ex altera, quâ usus est Salvator, non tamen sequitur, Paulum per subjectum suæ propositionis interpretari subjectum alterius, quæ à Christo adhibita fuit.

33. Tertium ut & quartum argumentum, quibus Albertinus evincere vult, per pronomen *Hoc* in verbis Christi significari panem, quia concludunt ex falsâ Pontificiorum sententiâ de Transsubstantiatione, quam nos non admittimus, facile patet, quod nos non feriant. Quintum argumētum, quod ab autoritate Patrum desumit Albertinus, nihil plane evincit; Nam quando Patres panem corpus Christi vocant, aut pro verbis Christi, *hoc est corpus meum* utuntur illâ: *Panis est corpus Christi*, sciendum est, vocabulum *Panis* dupliciter sumi ( $\alpha$ ) in vulgari significatione, de quâ §. præced. ( $\beta$ ) in eâ significatione, quam accepit ex usu Ecclesiastico, quatenus non nudum panem significat, sed panem, qui accedente verbo DEI factus est eucharistia, & rebus duabus, terrena & cœlesti, h. e. pane & corpore Christi constat: Patres igitur in propositione ista: *Panis est corpus Christi*, panem non sumunt pro nudo pane, quasi sensus sit: *panis nudus est corpus*, i. e. *signum corporis Christi*, sed pro toto sacramentali



86 tali complexo ex pane & corpore Christi, unde tantum abest, ut adversarios hic habeamus Patres antiquos, ut potius eos nobis planè ὁμοψήφως esse pateat. Sextum argumentum non nos, sed Pontificios tangit.

34. Hucusque vidimus nihil roboris inesse argumentis Autoris nostri, quibus evincere voluit pronomen *Hoc* significare panem. Progreditur nunc ad secundam partem hujus propositionis, *hoc est corpus meum*, nempe ad verbum *EST*, de quo duas adducit sententias, quarum tamen utramque probat. Primò dicit juxta nonnullos verbum *EST* esse transcendente & generalissimum, sicut *ENS*: quæ verba aut intelliguntur de *EST* secundi, aut de *EST* tertii adjecti, ut in Logicis vocatur. Si prius vult autor, ut sensus sit, verbum *EST* secundi adjecti, quod significat existentiam, æque ac *ENS* s. existens esse transcendente, frustra id adducit, cum hic non sit sermo de *EST* secundi, sed tertii adjecti, quod nempe post se aliquid habet in casu rectò: Si vero posterius vult, ut sensus sit, *EST* tertii adjecti æque ac *ENS* esse transcendente, id falsissimum est. Sicut enim *EST* tertii adjecti nullam significat existentiam, sed tantum identitatem inter prædicatum & subjectum, adeoque cum ente quoad existentiam planè non potest comparari: ita nihil causæ video, cur verbum *EST* tertii adjecti, quale est in propositione *hoc est corpus meum*, æquè ac *ENS* debeat transcendente vocari. Hoc igitur cadente, cadit & alterum, quod sequitur, nempe tot esse essendi modos, scil. per verbum *EST* tertii adjecti significatos, quot sunt Entis species: sicut enim hoc verbum non significat *esse vel existere*: ita quoque non significat *essendi vel existendi* modos. Quando porrò dicit Autor, ut dignosci possit verus & genuinus sensus cujuslibet



propositionis, habendam esse rationem subjecti & prædicati, id acceptari potest: sed quando addit: *si subjectum & prædicatum substantialiter de se invicem dicere queant, tunc EST designare, hoc esse illud substantialiter,* id ineptum est, cum verbū *EST* tertii adjecti, sive prædicatum de subjecto dicatur substantialiter, sive alio modo, semper eandem retineat significationem, & nil nisi identitatem inter prædicatum & subjectum denotet, ita, ut, an aliquid substantialiter, an alio modo de subjecto dicatur, non cognoscendum sit nec cognosci possit ex verbo *EST*, sed ex habitudine prædicati ad subjectum, sicut v. g. quando dico: *DEUS est justus*, hoc, quod *justus* de DEO substantialiter dicatur, non cognoscitur ex verbo *EST*; sed ex habitudine illius prædicati ad subjectum. Pergit Autor: *Sin autem non ita convenire possint (ut scilicet unum de altero dicatur substantialiter) sed tantum analogice aut significative, tunc EST tantum designabit, hoc illud esse analogice aut significative.* Verum neq; hæc rectè dicuntur. Quod enim unum sit alterum significative, aut quod unum de altero significative prædicetur, id non significatur per verbum *EST*, hoc enim præter identitatem nihil significat, sed id cognoscendum est iterum ex habitudine prædicati ad subjectum; e. g. cum ostensa imagine Cæsaris dico, *hic est Cæsar*, facile patet, quod, quando Cæsar propriè sumitur, nullam habeat habitudinem ad subjectum, quod digito monstratur, & quod de eò prædicari nequeat: si autè sumatur significative seu pro signo vel imagine cæsaris, non verbū *EST* hoc designabit, quod dicatur de subjecto *significative*, sed poterit illud cognosci ex habitudine prædicati ad subjectum, quia scilicet prædicatum sub nulla alia ratione quam sub ratione signi vel imaginis hoc subjectum respicit. Unde nunc



eadit etiam id, quod subjungit Autor, verbum *EST* in propositione, *hoc est corpus meum*, designare prædicatum cum subjecto idem esse tantum significativè.

35. Sed, ut supra vidimus, probat Autor noster hanc suam sententiam, quod nempe in verbis *CHRISTE Tò EST* designet unum de altero significativè prædicari. quia pronomen *Hoc* designat hunc panem, de quo corpus Christi substantialiter prædicari non potest. Verum Resp. Autorem petere id, quod in principiò. In præced. enim oppositum ostensum est, quod scil. quando certi esse volumus, quid pronomen *Hoc* in exhibitivis propositionibus in casu recto significet, respectus habendus sit ad prædicatum propositionis, quod quia in nostrâ, de quâ agimus, propositione est *corpus Christi*, facilè patet, pronomen *Hoc* in rectò corpus Christi denotare, non verò panem. Deinde ponamus, per pronomen *Hoc* significari panem, non tamen sequitur, verbum *EST* designare, quod prædicatum competat subjecto significativè, cum hoc non ex verbo *EST*, sed ex prædicato cognoscatur.

36. Simili modo Autor in altero quoque argumento petit id, quod in principio, dum dicit, in hac propositione: *hoc est corpus meum*, Sacramentum, quod manu tenebat Dominus & offerebat discipulis, i. e. panem appellari nomine rei, cujus Sacramentum est, i. e. nomine corporis, adeoque sensum esse: *panis est corpus meum*, nondum enim probavit Autor, per pronomen *Hoc* panem in recto significari, adeoque de pane prædicari corpus Christi. Ad tertium peti potest responsio ex superioribus, in quibus ostensum est, purum putum figmentum esse, verbum *EST* tertii adjecti duos habere modos essendi, substantialem & similitudinariam, cui simile est

le est



le est alterum figmentum, verbum *EST* in ordine ad hos modos habere se per modum generis. Unde frustra addit Autor, præferendum esse modum similitudinarium, ut verbum *EST* hunc designet in verbis Institutionis. Nam ex falsâ hypothesi procedit hæc Autoris argumentatio, quod scil. per pronomen *Hoc* significetur panis, & quod verbum *EST* tertii adjecti duos habeat essendi modos, quorum utrumque falsum esse, in præced. ostensum est. Sed adhuc obtinere conatur Autor, modum istum, quod verbum *EST* designet prædicatum subjecto competere *significativè*, eligendum esse, cum Dominus addat: *hoc facite in meam commemorationem*. Verùm nulla est consequentia. Hoc quidem certum est & extra dubium, Salvatorem, cum S. Cœnam instituit, imprimis etiam intendisse seriam mortis & passionis suæ in nobis recordationem, quam ob causam dixit: *hoc facite in mei commemorationem*; sed quomodo inde inferri possit, in verbis Salvatoris, *hoc est corpus meum*, *EST* *significativè* accipiendum esse, non apparet. Imò inverti potius potest argumentum, h. m. Quia Christus seriam mortis & passionis suæ memoriam per S. Cœnam animis nostris voluit imprimere, credibilius est, verba Salvatoris, *hoc est corpus meum*, *hoc est sanguis meus*, non agere de nudis signis corporis & sanguinis Christi, sed ipsum corpus & sanguinem ejus per verba ista nobis præsentia fisci, cum intensior memoria mortis & passionis Dominicæ in nobis esse vix queat, quàm cum ipsum corpus dulcissimi Salvatoris pro nobis vulneratum & in acerbissimam mortem traditum, & pretiosum ejus sanguinem pro nobis effusum coram adesse novimus, non secus, atque memoria optimi Ducis, qui pro salute patriæ occubuit, nunquam magis animos militum subit, quàm



quàm si ipsum herois defuncti corpus præfens sistatur, 90  
quamvis loculo contectum sit.

37. Pergit Autor noster, & aliam sententiam adfert  
De verbo *EST*, quando inquit: *communiter à Nostris  
asseritur, verbum EST hic tropicè poni pro significat, id  
quod probat ex scripturæ locis variis. Verum Resp. po-  
namus, in multis Scripturæ locis verbum EST sumi pro  
significat, ane legitimâ consequentiâ inde deduci pot-  
erit, in verbis Institutionis quoque ita sumendum esse.  
Eodem sane jure inde inferre poterimus, quod quia EST  
in pluribus Scripturæ locis sumitur proprie, prout deno-  
tat identitatem inter prædicatum & subjectum, sic quo-  
que in verbis Salvatoris sumatur propriè. Bene in hanc  
rem scripsit B. Luth. Tom. 3. Jen. Germ. fol. 340. Wenn  
schon dieser Grund/ daß EST soll heißen significat, Exempel  
in der Schrift hätte/ dennoch wehre damit noch nicht erwie-  
sen/ daß auch in den Worten/ Das ist mein Leib/ solte und  
müßte so genommen werden/ daß werden sie mir nimmermehr  
beweisen/ das weiß ich fürwahr/ denn es gar viel ein anders ist/  
wenn ich sage/ das mag so heißen/ und wenn ich sage/ das müß  
so heißen/ und kan nicht anders/ auff das erste kan sich das  
Gewissen nicht verlassen/ auff das andere kan sich verlassen.*

38. Sed propius accedamus ad loca Scripturæ ab  
Autore nostrò allata. Primus locus desuntus est ex  
*Gen. 41. v. 26. Septem vacca sunt septem anni*, ubi Autor  
noster putat, verbum *sunt* idem esse ac *significant*, ut  
sensus sit: *septem vacca significant septem annos*. Ve-  
rùm nullam video rationem, cur præcisè verbum *EST*  
hic accipi debeat pro *significat*, cum docente ex Calvino  
ipso Piscatore in not. ad *h. l.* tropus in prædicato esse  
queat, ut sensus sit: *Septem vacca sunt signa septem anno-  
rum*, qui sensus licet idem sit cum eò, quando *EST* di-

E

citur

M



citur accipi pro *significat*, non tamen hoc obtinetur, quod tō EST à nativa significatione recedat. Ad alterum locum *Gen. 17. v. 10.* quod attinet, in illo hæc propositio: *Circumcisio est fœdus*, non reperitur. Verba hæc sunt: *Hoc fœdus meum, quod custodietis inter me & inter vos & inter semen tuum post te, circumcidi vobis omnem masculum, seu, ut circumcidatur in vobis omnis masculus:* quæ verba hunc sensum habent: Fœdus meum, quod inter me & vos constituo, à vobis requirit, ut omnem masculum circumcidatis. *v. 11.* subjungitur: *circumcidetis igitur carnem præputii vestri, & erit in signum fœderis inter me & inter vos,* i. e. hæc ipsa circumcisio, quam requirit fœdus meum, erit signum fœderis inter me & inter vos. Ex quibus patet, in h. l. nullam præfusa mentionem fieri propositionis illius, *circumcisio est fœdus*. Sed ponamus, ex verbis versus undecimi erui posse hanc propositionem: *circumcisio est fœdus DEI*, non tamen sequitur, copulam EST à nativa sua significatione recedere. Sciendum igitur, circumcisionem dupliciter accipi posse. 1. pro integro Sacramento, quod duo complectebatur, alterum ex parte DEI, nempe DEI mandatum & gratiæ promissionem: alterum ex parte hominis, quod erat externa pelliculæ amputatio, per quam homo se DEO obligabat ad præstandam obedientiam, atque hæc integra actio, quæ circumcisio vel sacramentum circumcisionis dicebatur, propriè erat fœdus DEI, & totam fœderis divini essentiam in se continebat; & ita h. m. de circumcisione dici non potest, quod sit fœdus DEI, i. e. quod significet fœdus DEI. 2. circumcisio sumitur pro sola externæ pelliculæ amputatione, & h. m. rectè dicitur circumcisio signum fœderis divini, *v. 17.* Sive igitur priori, sive posteriori modò accipiatur circumcisio,



92  
cisio, probari non potest, verbum EST sumi pro *signifi-*  
*cat.* Priori enim modo circumcisio propriè est ipsum  
DEI fœdus, adeoque copula propriè sumitur, prout de-  
notat identitatem inter fœdus DEI & circumcisionem:  
posteriori modò autem prædicatum est *signum fœderis,*  
inter quod & circumcisionem pro externæ pelliculæ  
amputatione acceptam sicuti identitas datur: ita quo-  
que verbum EST, in hac propositione, *circumcisio est si-*  
*gnum fœderis,* eandem denotat, & ita propriam suam si-  
gnificationem retinet.

39. Tertius locus, quem Aut. noster adducit, ut evin-  
cat Tò EST sumi in Scriptura pro *significat,* extat *Exod. 12.*  
*v. 11.* Sed Resp. in isto loco non haberi hanc propositionē,  
quam Aut. format, nempe *Agnus est pascha.* Hæc enim  
sunt verba yerf. 11. *Et sic comedetis eum (agnum) Lumbi*  
*vestri accincti, calceamenta vestra in pedibus vestris, &*  
*baculus vester in manu vestra, & comedetis eum in festina-*  
*tione, יהוה פסח הוא ליהוה transitus est Jehova.* Diversas In-  
terpp. circa ultima ista verba *יהוה פסח הוא ליהוה* sententias  
vid. apud B. Hackspanium in *Loc. diff. Script. ad h. l.* Inter  
omnes textui maximè conformis videtur ista, quâ פסח  
per *transitum* redditur, ut hisce verbis causa reddatur,  
cur ab Israelitis tantâ cum festinatione, & adhibitis illis  
ceremoniis, quæ ipsis v. 11. præscribebantur, agnus pa-  
schalis sit comedendus, quia scil. est transitus Domini,  
seu instat vel appetit transitus Domini, quasi dicatur:  
transibit enim Dominus, & celeriter vos educet, ac  
proinde longa mora opus non est. Hic genuinus ad-  
ductorum verborum sensus est, ubi nulla mentio fit pro-  
positionis, *agnus est Pascha,* in qua Tò EST pro *significat*  
sumatur.

40. Quartus locus, quo Autor noster probare

E 2

vult,

M



vult, Tò EST sumi pro *significat*, desumptus est ex i. Cor. 10. v. 4. *Petra erat Christus*. Ubi sensum esse putat: *Petra significabat Christum*. Verum neque hic locus Autori nostro patrocinator, quod ut rectius intelligatur, contextus paulò accuratius est considerandus. Apostolus hætenus suo ipsius exemplo Corinthios dehortatus erat à peccatis & offendiculis infirmorum: nunc igitur in hoc capite decimo idem facit exemplo Patrum Israëliticorum. Horum exemplo ostendit Paulus, non esse satis, nomen suum profiteri inter fideles, & beneficiis illis frui, quæ DEUS Ecclesiæ contulit, eamque per illa à gentilibus distinctam voluit, si quis postea securus esse & omnis generis peccatis indulgere velit, cum etiam hi Patres beneficiorum DEI facti fuerint participes, & tamen plures illorum, quos DEUS non approbavit, in deserto fuerint prostrati. Quænam verò beneficia DEUS exhibuerit Patribus, ostendit Paulus v. 1. seqq. v. 3. inter hæc beneficia refert Paulus etiam hoc, quod omnes escam spiritualem comederint, i. e. idem manna, quod licet fuerit corporeum quid, non tamen naturali virtute, sed potentia divina in terram descendit, & præterea etiam præfiguravit verum illum panem vitæ, qui de cælo descendit, Jesum Christum, *Joh. 6. v. 32.* & ideò esca spiritualis vocatur. Similiter beneficiis, quorum patres participes facti erant, à Paulo annumeratur etiam, quod biberint eundem potum spiritualem, v. 4. per quem potum spiritualem intelligitur aqua illa, quam DEUS in itinere Israëlitarum ex petra produxit, quæ dicitur potus spiritualis, tum quia spiritualem atque vivificum potum, sanguinem Christi præfiguravit, tum etiam quia non naturali, sed divina virtute è rupe profiliit, nec Mosi, qui petram baculo percussit, sed unicè DEO adscribenda fuit,



94  
fuit, quem Scriptura non semel petram, adeoque spiri-  
tualem petram appellat, unde subjungit etiam Apосто-  
lus in eod. v. 4. *bibebant de spiritali, quæ illos comitaba-  
tur, petra*, i. e. hoc omne, quod in itinere isto Patres a-  
quam è petra accipiebant, DEO, petræ spiritali, acce-  
ptum referendum est. Quod autem hæc de DEO, petra  
spiritali, non autem de naturali accipienda sint, patet,  
quod dicitur hæc petra comitata esse Israëlitas, quod de  
petra naturali dici non potest. Simplex igitur sensus  
est: *bibebant de petra spiritali*, i. e. patres aquam è ru-  
pe accipiebant virtute & auxilio DEI, qui in Scriptura  
petra vocatur, atque hæc petra spiritalis, nempe DEUS  
illos sequebatur, atque ab omnibus periculis eos immu-  
nes præstabat. Etsi autem hoc omnibus tribus Perso-  
nis Trinitatis erat commune, peculiariter tamen Apo-  
stolus exprimit secundam Trinitatis personam, & dicit  
eodem versu, *Petra verò* (intellige spiritalis, de qua in  
præced. dictum) *erat Christus*, s. petra spiritalis, quæ  
Patres in itinere comitabatur, ipsisque è rupe naturali  
aquam eliciebat, Christus erat. Hic est genuinus hujus  
loci sensus, quâ ratione non video, quomodo inde pro-  
bari queat, verbum EST sumi pro *significat*, cum ver-  
bum EST h. m. nihil aliud denotet quàm identitatem  
inter Christum & petram spiritualem.

41. Nec est, quod quis objiciat in textu haberi,  
*ἐκ πνευματικῆς ἀπολιθώσεως πέτρας, ex spiritali petra, quæ  
comitabatur eos*, ubi particula *ἐκ* videtur subjectum  
denotare, ex quò scil. patres aquam acceperunt, quod  
non fuit DEUS vel Christus, sed petra naturalis, ex qua  
eliciebatur aqua. Nam Resp. Licet sæpius particula *ἐκ*  
designet materiam & subjectum, ex quo aliquid produ-  
citur, hoc tamen non est perpetuum, & multa adduci

E 3

pos-



possunt Scripturæ loca, in quibus dicta particula causam efficientem designat. Sic *Joh. 8. v. 44.* Christus ad Judæos ait: *Vos ἐκ πατρὸς ex patre Diabolo estis*: ubi sanè Salvator non vult, Judæos ex Diabolo tanquam materia vel subjecto productos esse. Similiter *Rom. 11. v. 36. ἐξ αὐτοῦ Ex ipso (DEO) sunt omnia.* vid. B. Glass. *Gram. S. lib. 3. tr. 6. can. 8.* Nec etiam obstat traditæ explicationi, quod in textu dicitur: *ἀκολούθησεν πέτρας ex petra, qua sequebatur*, quod Christo non videtur competere, quippe qui non secutus fuit Israëlitas, sed eorum dux fuit. Resp. enim, verbum ἀκολουθεῖν non semper idem esse ac sequi præeuntem, sed interdum idem valere ac simul cum altero iter facere, sive præeas, sive sequaris, sive te comitem ad latus euntis adjunxeris. Factum enim est ex particula *α*, quæ apud Græcos non infrequenter significationem habet *τὸ ὄμῃ simul*, & nomine *κέλευθρον via, iter*, ut observat Jun. *l. 2. parall. 36.*

42. Quintus locus pro sententia ista allatus, quod verbum EST quandoque sumatur pro *significat*, desumptus est ex Epistola *ad Tit. 3. v. 5.* ubi baptismus dicitur *lavacrum regenerationis*. Si igitur integra formatur propositio, *Baptismus est lavacrum regenerationis*, Autor noster ait copulam EST idem esse ac *significat*. Verùm unde certos nos reddet Autor de hâc significatione? Sanè neque ex contextu, neque aliunde quicquam adduci potest, quod obstet, quo minus in hâc propositione, *Baptismus est lavacrum regenerationis*, τὸ EST propriè possit sumi. Etsi enim ultrò largimur, solam aquam aut externam ablutionem prædicatum istud, quod sit lavacrum regenerationis, non habere: si tamen ad elementum externum accedat verbum & Spiritus Sanctus aquam, baptismi sanctificans, à vulgari segregans, & medium or-  
dina-



96  
dinarium nostræ regenerationis constituens, atque per illud efficaciter operans, quod in hoc ipso versu innuit Apostolus, nihil causæ video, cur baptismus non proprie dici queat lavacrum regenerationis, aut cur verbum *EST* explicari debeat per *significat*. Verissimè igitur scripsit B. Hunnius *de Sacram. c. 14.* quod est de cœna Dom. *Baptismi vox indubiè integrum sacramentum complectitur, h. e. non tantum externam abluionem, sed etiam additum elemento verbum de regeneratione hominis, adoptione & vitâ eternâ. Atque sic vocula EST manet salva, subiectum autem juxta naturam Sacramentorum complectitur totum illud ab actione in oculos incurrente denominatum, atq; hac ratione non significat, sed verissimè est lavacrum atque organum regenerationis.*

43. Sextò Autor noster adducit locum ex Epistola *Rom. 6. v. 4. & Col. 2. v. 12.* ubi dicit contineri hanc propositionem: *Baptismus est sepultura cum Christo*, cujus sensum esse putat, quod baptismus significet sepulturam cum Christo. Verum Resp. hanc propositionem in neutro loco inveniri. *Rom. c. 6. v. 4.* dicitur: *Consepulti igitur sumus ei (Christo) per baptismum in mortem.* Similia habentur in alterò locò *Col. 2. v. 12.* Sed in his verbis neque actu & explicitè continetur hæc propositio: *baptismus est sepultura*, nec etiam implicitè, ita ut eò sensu, quo adversarius vult, ex his verbis formari possit, id quod satis clarum est ex contextu. Cum enim in præced. capite Apostolus effectum fidei & justificationis consequens explicasset, nempe conscientie tranquillitatem & pacem apud DEUM, hoc sexto capite nunc alterum tractat, nempe vitæ novitatem, s. peccatorum fugam & bonorum operû studium. Quia autem capite præcedente *vers. 20.* dixerat: *ubi exuberavit peccatum, ibi magis*



gis exuberavit gratia, ideò statim ab initio capitis sexti  
 objectionem movet Apostolus, & dicit: *Anne igitur ma-*  
*nebimus in peccato, ut gratia abundet?* Resp. v. 2. *absit:*  
*qui mortui sumus peccato, quomodo posthac in eo vivemus?*  
 quasi dicat: nos qui jam per veram fidem in Christum  
 tanquam vitam spiritualem Christo vivimus, non pot-  
 erimus in peccato, quod fidei tanquam vitæ spirituali è  
 diametro repugnat, posthac vivere. v. 3. pergit Aposto-  
 lus: *An ignoratis, quod quicumque baptizati sumus in*  
*Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus?* quasi di-  
 cat: scire debetis, quod, quicumque per baptismum  
 Christo nomen dedimus & mystico ejus corpori sumus  
 insiti, baptizati sumus ideò, ut, sicut Christus verè mor-  
 tuus est: ita & nos peccatis mori, & in illis non amplius  
 vivere debeamus. v. 4. dicit porrò: *Sepulti igitur sumus*  
*unà cum illo per baptismum in mortem,* quasi dicat: sicut  
 Christus in sepulchro jacens revera mortuus fuit, ita, ut  
 per triduum mortis vita naturalis in illo non fuerit: ita  
 postquam baptizati sumus, & per baptismum nobis col-  
 lata est vita spiritualis, ut jam Christo vivamus, mortui  
 sumus peccato & quasi sepulti, ut scil. peccato non am-  
 plius vivamus, s. ut vita peccatis dedita non amplius in  
 nobis sit. Hisce igitur significat Apostolus inter alia  
 efficaciam baptismi, quod scil. illis, qui baptizantur, fi-  
 dem salvificam tanquam vitam spiritualem conferat, &  
 consequenter efficiat, ut peccato, quod vitæ spiritua-  
 li opponitur, moriantur, & quasi sepulti sint, ut cum eo  
 nullum amplius commercium habeant, sed potius, *quem-*  
*admodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam*  
*Patris; ita & ipsi in novitate vitæ ambulent.* Hic est  
 verus sensus horum verborum Pauli. An nunc ex illis  
 propositio Auctoris, nempe *Baptismus est sepultura cum*  
*Christo*



*Christo, elici possit, ut EST sumatur pro significat, & sensus sit: Baptismus significat sepulturam cum Christo, iudicent qui possunt. Sane baptismus hic non proponitur ut signum, sed ut efficax organon Spiritus S. & ostenditur, quæ virtus ejus sit in baptizatis.*

44. Quod denique attinet locum septimum ex *Luc. 22. v. 20. & 1. Cor. 11. v. 25.* desumptum, ubi dicitur: *hic calix novum testamentum est in sanguine meo*, neq; in illo verbum *EST* sumitur pro *significat*, quod ut rectius intelligatur, sciendū est (a) in hac propositione esse metonymiam subjecti, *hic calix* enim ponitur pro eō, *quod est in hoc calice.* (β) quidam observant propositionem hanc, *id, quod est in hoc calice, est novum Testamentum*, esse causalem, ejusque sensum hunc esse: *Quod est in hoc calice, constituit N. T. seu est id, per quod N. T. sancitur & confirmatur.* Stante hac sententia, frustra hic locus adducitur ad probandum, quod verbum *EST* sumatur pro *significat*. Nam in causalibus propositionibus *EST* non solet explicari per *significat*; Quis enim hanc causalem: *Vulnus in corde est mors*, ita explicat, ut *EST* sit idem quod *significat*, & ut sensus sit: *vulnus in corde significat mortem?* cum potius quilibet hunc sensum esse intelligat: *vulnus in corde est causa mortis, seu mortem adfert.* Similiter cum dicitur: *hic calix vel quod est in hoc calice est N. T.* admissa hâc sententiâ, sensus non est: *quod est in hoc calice significat N. T.* sed potius: *id quod est in calice est causa Novi Testamenti, seu est id, per quod N. T. constituitur.* Planior tamen esse videtur sententia B. Lutheri, quam proponit *Tom. 3. Jen. Germ. p. 465.* ubi existimat, apud Lucam esse hypallagen Hebraicam. Verba Lutheri hæc sunt. *Lucas stimmt mit Matthæo gänzlich überein/*

F  
N



ein/ohn daß er die Worte verſeſet/ wie die Hebreiſche Sprache pfleget. Dann da Matthæus ſpricht auff Griechiſche Weiſe / das iſt mein Blut des neuen Testaments/ ſpricht Lucas auff Hebreiſche Weiſe / das iſt das neue Testament in meinem Blut. Atque hæc hypallage Hebraica in aliis etiam locis apud Lucam occurrit. vid. cap. 1. 48. c. 21. 26. Quod ergo Matthæo dicitur *Sanguis Novi Testamenti*, id Lucas effert h. m. *novum Testamentum in sanguine meo*. Sed & hoc obſervandum h. l. quod apud Hebræos genitivus sæpe exprimitur adhibito præfixo 2. Unde *Novum Testamentum in meo sanguine*, idem eſt ac *Novum Testamentum mei sanguinis*. Hiſce obſervatis, ſi applicatur hypallage, ſenſus proſiſitionis à Lucâ adhibitæ hic erit: *hoc poculum* (quod eſt in hoc poculo) *eſt sanguis meus Novi Testamenti*, quod ipſum dicit etiam Matthæus, atque ita aptè conveniunt Evangeliftæ. Unde autem nunc probari poſſit, verbum *EST* in hæc proſiſitione ſumi pro ſignificat, non apparet. Ita igitur vidimus loca, quæ Autor noſter adduxit, ut evinceret tò *EST* quandoque ſumi pro *ſignificat*, nihil probare. Nunc Autor noſter pergit, & quod verbum *EST* etiam in hæc proſiſitione, *Hoc eſt corpus meum*, pro *ſignificat* accipiatur, probat ex eò, quod ſignatum de ſuo ſignò prædicetur, h. e. diſparatum de diſparato. Verum petit Autor id, quod eſt in principio: nondum enim probavit, quod per pronomen *Hoc* in dictis verbis: *hoc eſt corpus meum*, panis tanquam ſignum corporis Chriſti in recto ſignificetur, & quod prædicatum nempe corpus Chriſti in ordine ad ſubjectum ſe habeat per modum ſignati, ut hic ſit ſenſus: *hic panis eſt corpus meum*. Oppoſitum enim in præcedentibus non ſemel oſtenſum eſt.



45. Autor noster nunc progreditur ad prædicatum hujus propositionis, *hoc est corpus meum*, & dicit per *corpus* intelligi verum & naturale Domini corpus, in quo nos habet consentientes, quamvis nos totum prædicatum dicamus esse *corpus meum*: Autor noster autem corpus habeat tantum pro parte prædicati, cum juxta ipsum ad prædicatum pertineat etiam *to significans*. Unde probat illorum sententiam, quibus corpus in adducta propositione idem est ac *signum corporis*, pro quâ tamen sententia nulla adducit argumenta.

46. Tandem Autor c. XIII. totam hanc propositionem, *hoc est corpus meum*, considerat, eamq; impropiam esse probat i. hoc argumento: *Ubicunque disparatum de disparato prædicatur, ibi necessario aut figurata est, aut falsa enunciatio. At in hac propositione: hoc est corpus meum, disparatum de disparato prædicatur; E. hæc propositio aut figurata aut falsa est. Non autem est falsa. E. figurata & impropria.* Majorem probat, quia que essentialiter differunt, de se invicem nequeunt proprie prædicari. Minorem probat ex eò, quia in hac, *Hoc est corpus meum* corpus Christi prædicatur de pane terreno & materiali. Verum in hoc argumentò & major & minor falsa est. Major quidem, quia in personalibus prædicationibus, quando dico: *DEUS est homo, homo est DEUS*, prædicatur disparatum de disparato, nec tamẽ istæ prædicationes figuratæ sunt aut falsæ, quod fatetur ipsemet Autor noster. Similem in modum respondit etiam B. Gerh. *Loc. de Cæn. c. 10. §. 137.* (cujus verba adducit Autor) nempe *se non simpliciter & absolutè asserere, quod disparatum de disparato affirmatè prædicetur, sed de illis solùm disparatis hoc se asserere, inter quæ unio quædam intercedit. Qua-*



tenus disparata, pergit Gerhardus, extra unionem in sua natura considerantur, eatenus affirmatè de se invicem nequaquam predicantur: sed quatenus in unione invicem copulantur, & unum quoddam constituunt, eatenus verè de se invicem predicari possunt; Dicendum igitur, quod prædicationum affirmativarum fundamentum sit vel unitas essentie, qua locum habet in prædicationibus Logicis, vel unitas existentie, i. e. unitas quadam vel unio extremorum. Disparata non possunt de se invicem predicari affirmatè respectu prioris, quia per essentiam sunt disparata; benè autem possunt de se invicem affirmatè predicari respectu posterioris, quia per arctissimam unionem & ex eâ ortam præsentiam invicem copulantur, & ratione illius unionis sive unitatis de se invicem predicari possunt, quod extra unionem nunquam fieret. Quibus B. Gerh. hoc vult, quod disparata licet de se invicem non possint prædicari ita, ut inter illa intercedat identitas essentiae, possint tamen prædicari de se invicem propter arctissimam quandam unionem, sicut e. g. in prædicationibus personalibus propter arctissimam naturæ divinæ & humanæ unionem homo de DEO, & DEUS de homine prædicatur.

47. Sed hoc ipsum impugnat Autor noster & putat arctissimam unionem inter disparata non sufficere ad hoc, ut alterum eorum de altero propriè prædicari possit, alioqui, inquit, cum in sanctissimo Trinitatis mysterio, Pater & Filius & Spiritus S. unum sint singulari quadam conjunctione, veræ & propriae essent hæc propositiones, Pater est Filius, Filius est Pater, Spiritus S. est Pater & Filius. Item de Christo: humanitas est divinitas, quia inter illas est unio. Et, corpus est anima, propter unionem hypostaticam corporis & anime in nobis, quod tamen opinor, nemo

sa-



102 *sanus concederet.* Deinde, quod attinet hasce propositiones personales, *DEUS est homo, homo est DEUS*, fateatur Autor, eas esse veras ac proprias, sed negat in illis disparatum de disparato prædicari. Prædicationes autem disparatorum fore putat, si diceretur, *divinitas est humanitas*, aut, *humanitas est divinitas*. Verum quod primum attinet, exempla ab Autore nostro allata nondum evertunt sententiam B. Gerhardi. Nam quod primum attinet, illud nullo modo huc quadrat. Ut enim nihil dicam de eò, quod Pater, Filius & Spiritus Sanctus non sunt disparata, B. Gerharo sermo est de illis rebus, quæ aliàs habent naturas diversas & realiter distinctas, arctissimam tamen unionem uniuntur, de his dicit, quod altera prædicari possit de altera: at verò quomodo contra hanc sententiam adduci potest exemplum trium personarum in divinitate? de his enim dici non potest, quod habeant naturas diversas & realiter distinctas, nec etiam quod uniantur, eò scilicet modò, quo aliàs res diversarum naturarum uniri solent. Neque etiam alterum exemplum obstat B. Gerharo. Nam cum docet B. VIR, ob arctissimam unionem diversarum rerum unam de altera prædicari, id non intelligit de abstractis, sed de concretis, quod expressè monet *L. de Cæn. §. 137.* ubi dicit, *in abstracto* (propter unionem personalem) *divina natura non prædicatur de humanâ, & contra.* Licet igitur ob arctissimam unionem inter divinam & humanam naturam, dici non possit, *humanitas est divinitas*, quod ultrò largitur Gerhardus, rectè tamen dicitur, *homo est DEUS*, & contra: *DEUS est homo*. Neque tertium exemplum de corpore & animâ VIRO beato adversatur. Nam cum propter arctissimam unionem rerum aliàs diversa-



103 rum, dicit unam de altera prædicari, alteram, de qua aliquid prædicatur, non simpliciter & absolutè sumit, sed quatenus alteram sibi unitam habet, & ita totum complexum constituit, e. g. cum dicit corpus Christi ob arctissimam unionem cum pane de pane prædicari, panem non sumit pro nudo & communi pane, sed pro pane super quo actæ sunt gratiæ, & qui jam post consecrationem eucharistia est, rebusque duabus terrenâ & cœlesti constat ut fufius mentem suam explicat *L. de Cœn. §. 137.* at vero Autor noster quando dicit, inter corpus & animam arctissimam unionem intercedere, nec tamen dici: *corpus est anima*, alterum unitorum seorsim sumit, quâ ratione ipse B. Gerh. procul dubio concessit propter arctissimam unionem alterum unitorum de altero non dici.

48. Quod porrò ait Autor, has propositiones, *DEUS est homo, homo est DEUS*, esse quidem veras & proprias, sed non prædicari in illis disparatum de disparato, cum *humanitas & divinitas* sint disparata, non autem *DEUS & homo*; petit id, quod est in principio. Nam non solum humanitati & divinitati, sed etiam homini & DEO competit definitio disparatorum, ut ex Log. notum est. Neque quicquam ad rem facit, quod paulo post Autor dicit, in hac: *DEUS est homo*, hominem prædicari ut speciem de individuo, in alterâ vero, *homo est DEUS*, DEUM prædicari tanquam proprium de individuo, & conseq. non ut disparatum. Nam utrumque horum falsissimum est, quod etiâ illi norunt, qui vix primis quod dicitur labris præcepta Log. degustarunt. Nam quod in priori illa personali prædicatione, *DEUS est homo*, homo non prædicetur ut species de individuo, vel ex eo patet, quod



104 quod species prædicatur essentialiter: hoc prædicatum autem *Homo*, DEO essentialiter non competit. Similiter nec in altera, *homo est DEUS*, DEUS prædicatur ut proprium, si proprium strictè sumitur. Nam inter alia requisita proprii est, ut reciprocetur cum subjecto, & ut consequatur essentiam subjecti. At verò DEUS nec reciprocatur cum homine, nec essentiam hominis consequitur, non igitur DEUS de homine ut proprium prædicatur. Atque hætenus ad majorem argumenti primi responsum est.

49. Cæterum minor quoque in eodem argumentò falsa est, quod scil. in hac propositione: *hoc est corpus meum*, disparatum de disparato prædicetur. Idem enim prædicatur de seipso sub alio atque alio conceptu, corpus Christi scil. distinctè spectatum de seipso confusè per pronomen *Hoc* significato. Quod Autor dicit, in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, prædicari *corpus Christi* de pane, petit id, quod in principio, nondum enim probavit, per pronomen *Hoc* significari panem in casu rectò, & oppositum non semel hætenus ostensum fuit.

50. Secundum argumentum Autoris nostri, quo vult probare, propositionem hanc: *hoc est corpus meum*, esse impropiam, hoc est: *Quando signum dicitur res signata, aut res signata affirmatur de signo suo, enunciationem illam non propriam, sed figuratam esse necesse est. At in verbis: hoc est corpus meum, signum dicitur esse res signata, aut res signata affirmatur de signo suo. E. Majorem probat, quia signum & res signata sunt relatum & correlatum. Repugnat autem relatum esse correlatum. Minor, inquit, similiter constat.* Sed in hoc etiam argumento

au-



105 autor petit id, quod in principio. Nondum enim, quod  
minorem attinet, probavit A. N. quod in his verbis: *hoc  
est corpus meum*, res signata affirmetur de signo suo, præsup-  
ponit quidem in hac: *hoc est corpus meum*, per pronomen  
*Hoc* in recto significari panem, sed hoc falsum esse sæpius  
ostensum fuit.

51. Autor addit probationem minoris, quæ hæc  
est: *Corpus Christi, quod est signatum, in ista proposi-  
tione significativa prædicatur de subjecto Hoc. Hoc autem de-  
signat aut signatum aut signum. Non signatum, quia esset  
significatum sine significante, cum in illis verbis nihil sit,  
quod signum possit designare præter subjectum illud Hoc. Er-  
go signum.* Sed, quod Autor dicit in ista propositione,  
*hoc est corpus meum*, corpus de subjecto *Hoc* prædicari ut  
signatum, eò ipsò iterum petit id, quod in principio:  
Sicut enim nondum probavit per pronomen *Hoc* nudum  
signum corporis Christi denotari: ita etiam nondum  
obtinuit corpus Christi prædicari de pronomine *Hoc* ut  
signatum. Deinde quod dicit, pronomen *Hoc* aut de-  
signare signatum aut signum: in eo iterum fallitur:  
nam neutrum significat pronomen *Hoc*: neque enim in-  
ter relativè opposita immediata est oppositio, ut neces-  
sariò alterutrum per pronomen *Hoc* significari debeat.  
Sic e. g. cum dico: accipe, bibe, *hoc est vinum*, quis di-  
xerit, per pronomen *Hoc* denotari vel signum vel signa-  
tum? Sed dicit Autor: hanc propositionem Salvatoris:  
*hoc est corpus meum*, esse significativam, corpus Christi igitur  
ut signatum prædicabitur. Verum si per propositio-  
nem significativam intelligit illam, in qua alterum mem-  
brum v. g. prædicatum est signatum, alterum verò nudum  
signum



signum, etiam hoc negatur, nec habet Autor, unde sen- 106  
tentiam suam solidè probet.

52. Argumentum ultimum ex iis, quæ in præced.  
dicta sunt, facile solvitur. Est autem hoc: *In exemplis  
rerum, quæ tota posita sunt in significatione, idem est addere  
verbum EST & SIGNIFICAT, cum de illis prædicamus signi-  
ficatum. At Eucharistia est in exemplis rerum, quæ tota po-  
sita sunt in significatione. E. idem est illi addere verbum  
EST, aut SIGNIFICAT, cum de illa prædicatur significatum,  
sicut fit in his verbis, Hoc est corpus meum. Verum quilibet vi-  
det, Autorem crambem bis coctam apponere, & pro cer-  
to habere, quod adhuc demonstrandū erat, nempe in his  
propositionibus, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus,  
per pronomen Hoc denotari nudum panem tanquam  
signum corporis, nudum vinum tanquam signum sangui-  
nis Christi.*

Hæ sunt, L. B. quæ contra Orthodoxorum sen-  
tentiam attulit Autor noster, quibus quid roboris in-  
sit, ex iis, quæ breviter hætenus dicta sunt, facile  
perspicitur. Nos finem huic disputatio-  
ni imponentes

DEO agimus gratias.



N







Aug VI 20 (1)

ULB Halle 3  
004 504 488



f

TA → 6L


neu 1+37 Stück verhängt

VD 17

Z











56 I. N. D.  
DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

VERBIS INSTITUTIONIS COENÆ DOMINICÆ,

*in qua*

propria eorum significatio defenditur, & quæ pro Calvinianorum

sententia Edmundus Albertinus scripsit,

examinantur,

PRÆSIDE

DN.

SEBASTIANO NIEMANNO,

SS. THEOL. D, Prof. Publ. & Superintendente, Fautore & Collega suo omni honoris cultu prosequendo,

pro LICENTIA

Supremum in Theologia gradum consequendi

in Auditorio Theologorum,

ad d. XVII. Septembr.

horis ante- & pomeridianis habenda

FRIDEM. BECHMANNO, SS. Th. P. P.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS, An. M DC LXIX.

H